Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2241

Quelle:
Copyright:

quae eis e *Lambecii* L. II. p. 802. innotuerat. At en Partes duas, quas *Leonardus* ipſe in *Indice Parti* II. ſubjecto ita diſtinguit, ut a Thecae colore *Partem I. libellum nigrum*, II. vero *libellum rubeum* adpellarit. Varia in utroque ſpuria et frivola eſſe, vix eſt, quod moneam. *Leonardum de Vienna* et *de Valle Brixinenſi* eundem eſſe, jam ad *Cod.* CCCXLIII. monui.

DLXXXVIII.

188 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 119. f. varia a variis deſcripta continens Opuſcula pertinuit olim ad hujatem Conventum FF. Praedicatorum; Ita enim ad marginem infernum *fol.* 3. legitur: *Iſte liber eſt conuentus Wien. in Auſtria ordinis predicatorum A. domini 1462. ligatus et de cella fratris Leonardi deputatus ad catenacionem.* Primum, quod occurrit, eſt: *Inquiſicio Qualia danda ſint conſilia in tempore hoc. anno videlicet 1462 ſuper placando diuinam maieſtatem, quatenus vniuerſitas fidelium tocius domus Auſtrie liberetur a calamitatibus* &c. Conſtat *Epiſtolis* III. inſcriptis: *Sacri Juris canonici ac arcium liberalium profeſſori perſpicaciſſimo Reuerendo in chriſto Patri. domino Johanni de Oetting ſeu Oeding Alme eccleſie Jaurien. prepoſito, nec non et reuerendiſſimi domini ordinarij noſtri Patauien. in ſpiritualibus iurisdicionibus vicario ſeu officiali per auſtriam*, Autore ſupra dicto *Fratre Leonardo de N. conuentus wien. ordinis predicatorum*, ut ex initio *Epiſtolae* II. liquet. Prima *Capitibus* XIV. definitur, urgetque vitae et morum emendationem in populo, majoremque Cleri in ſacris muneribus vigilantiam et fervorem. Data eſt *Anno domini 1462. In die circumciſionis.* Reliquae duae breves ſunt, idemque tractant argumentum. *Calamitates* in Titulo memoratae turbas eo tempore inter *Fridericum* Imp. fratrem ejus *Albertum*, et *Auſtriae* Proceres motas notant, de quibus Hiſtorici domeſtici paſſim, in quibus *Marcus Hanſizius Germ. Sacrae* T. I. p. 572. et Opuſculi noſtri meminit. De Autore *Leonardo de Valle Brixienſi* plura ad *Codd.* praeced. duos, et CCCXLIII.

II. *fol.* 3. ſequitur *Dialogus* inter *Catholicum* et Haereticum *Patarenum*, qui absque Titulo incipit: *Vergente ad occidium mundo et inſtantibus periculoſis temporibus* &c. et finit: *Stulti, ſolus chriſtus eſt hoſtium per quod intratur ad regnum celorum, ad quod* &c. Editus eſt ab *Edm. Martenio* T. V. *Theſ. novi Anecd. col.* 1703. ſed nobis ſubjecta eſt anathematis formula hoc initio: *Excommunicamus et anathematizamus vniuerſos hereticos Catharos Patarenos Pauperes de Lugduno* &c. quam illius Codices non exhibebant, quaeque ſumta eſt ex V. *Decret. tit. 7. c. 15.*

III.